INDEX LECTIONUM

IN

ACADEMIA ALBERTINA

FRIDERICO GUILIELMO

HEREDE MONARCHIAE

ACADEMIAE ALBERTINAE RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

PER AESTATEM

ANNI MDCCCLXVII. A. D. XXIX. APRILIS

P. P. O.

INSTITUENDARUM.



Praefatus est L. Friedlaender de nonnullis locis corruptis in Martialis epigrammatis.

Regimonti Pr.

Typis Academicis Dalkowskianis.

MDCCCLXVII.

ACADEMIAE ALBERTINAE PRORECTOR

Dr. GUST. FRID. WERTHER

PHILOS. ET MED. DR. P. P. O.

Prooemium.

Martial. V. 19, 9:

Quis largitur opes veteri fidoque sodali,
Aut quem prosequitur non alienus eques?
Saturnaliciae ligulam misisse selibrae
Flammarisve togae scripula tota decem
Luxuria est, tumidique vocant hoc munera reges:
Qui crepet aureolos, forsitan unus erit.

Quaeritur quid lateat in initio corrupto versus quarti, ubi (ut potiores tantum codices commemorem) Thuaneus: *flammarisve togereri pala*, Palatinus: *flammarisve tole scripula*; Aldina et Veneta utraque *flammataeve togae scrupula*. Heinsius tentabat: *flammarisve stolae* vel *lamnalis cotulae*, quae nihili esse apparet. Scripula (quam vocem codicum fere omnium tuetur consensus) nullam dubitationem relinquunt, quin vocabulum materiae pretiosae (argenti vel auri) et quidem genetivo casu positum praecesserit, velut IX 88, 3: argenti sex scripula Septiciani. Sed etiam aurum inter munera Saturnalicia missum esse testatur Martialis hoc eodem libro 59:

Quod non argentum, quod non tibi mittimus aurum,
Hoc facimus causa Stella diserte tua.

Item XIII 48:

Argentum atque aurum facile est laenamque togamque
Mittere, boletos mittere difficile est.

Nostro autem versu scripula illa decem revera auri esse ideo putabimus, quod materiam cujus tantillum modo mittitur pretiosiorem esse necesse est ea cujus selibra datur. Sin autem ligulam selibram pendentem pro argentea habebimus, sequitur scripula non posse non esse aurea. Quod autem epitheton auri vocabulo additum fuerit potest dubitari. Codicum quidem lectione in *flammantisve auri* ferimur; est tamen cur *flaventis* fuisse putem. Flavus color auro proprius est, quod flavum metallum audit VIII 51, 5. Cf. XII 65, 6: de moneta Caesaris decem flavos; II 43, 11: flava chrysendeta. XII 61, 3: vellera nativo pendent ubi flava metallo. IX, 23, 1: O cui virgineo flavescere contigit auro. Semel dixit fervens aurum X 74, 5: Cum Scorpus una quindecim graves hora *Ferventis auri*

victor anferat saccos; ubi sine causa Heinsius flaventis proposuit. Cum autem nullus fortasse poeta adeo amator sui sit ac Martialis, quem semel inventa iterum iterumque repetere non taedeat, etiam nostro loco alterutrum eum scripsisse putabimus. Fervens autem aurum quum de scripulis decem dici non potuerit, flaventis restituemus. Accedit quod flaventis ut difficilius intellectu facilius in flammantis mutari potuit quam vice versa. Legimus igitur:

Saturnaliciae ligulam misisse selibrae,
Flaventisve auri scripula tota decem.

Ceterum etiam alii loci in his epigrammatis jam in exemplaribus archetypis ita corrupta fuerunt, ut pro vocabulo a poeta scripto aliud substitutum sit. Velut V 16, 5:

Nam si falciferi defendere templa Tonantis etc.

Tonantis omnes codd. habent, excepto Leidensi saec. XV in quo est sonantis. At nec Jovem falciferum dici posse, nec Saturnum tonantem, in aperto est. Saturnum falciferum senem dixit Martialis XI 6, 1; sub quo ut ait (XII 62, 3) nec regale nimis fulmen nec fulmine digni. Qui igitur pater ille optimus tonare potuit? Multo minus autem Tonanti falx Saturni convenit. Aut omnia fallunt aut scripsit poeta:

Nam si falciferi defendere templa parentis.

Vocabulum parentis aliquis perperam interpretans, adscripsisse videtur Tonantis, quod postea in locum genuinae lectionis substitutum est. De Saturni igitur templo sermonem hoc loco esse apparet: sed cur id defendere dicantur caussidici, me explicare non posse confiteor.

Simili modo vocabulum in margine adscriptum in textum irrepsisse videtur X 51, 5:

Quos Faustine dies, quales tibi Roma Ravennae
Abstulit! O soles, o tunicata quies!

Quomodo Ravennae hic locus esse potest, cum de recessu Tarracinensi sermo sit? Scilicet etiam hoc adscripsit aliquis, qui hoc epigramma limis oculis inspexit. Martialem scripsisse puto:

Quos Faustine dies, quales tibi Roma recessus Abstulit!

ut scripsit X 58, 1: Anxuris aequorei placidos Frontine recessus; cf. VI 43, 9: urbis vicina facilesque recessus et Pierios recessus VII 63, 3. Et video recessus jam restitutum esse in ed. Rom. 1473.

I. SCHOLAE THEOLOGORUM.

---

1. *Professorum ordinariorum.*

HENRICUS VOIGT, theol. Dr. P. P. O. quintus, Decanus.
I. Publ. Confessionis Augustanae historiam tradet doctrinamque exponet diebus Lunae et Jovis h. IV.
II. Privat. 1) Dogmaticen christianam senis p. hebd. lectionibus docebit h. IX.
2) Historiae dogmatum partem priorem quinquies p. hebd. enarrabit h. X.
III. Privatissime et gratis. Seminarii theologici sectionem exegetico-criticam N. T. moderari perget d. Martis h. V et VI.

FRIDER. LUDOV. SIEFFERT, phil. et theol. Dr., P. P. O. primarius, Facult. Theol. Senior.
I. Publ. Theologiae moralis selecta capita cum commilitonibus disputando pertractabit d. Mercurii. h. IX.
II. Privat. Theologiae dogmaticae partem priorem sive fundamentum tradet quaternis diebus h. IX.

JO. GEORGIUS SOMMER, theol. Dr., P. P. O. secundus.
I. Publ. In libros apocryphos V. T. introductionem historico-criticam tradet bis p. h. h. VII.
II. Privat. 1) Antiquitates sacras V. T. explicabit quater p. h. h. VII.
2) Librum Jobi quinquies interpretabitur p. h. h. VIII.
III. Privatissime et gratis. Seminarii theologici sectionem exegetico-criticam V. T. dirigere perget d. Veneris h. V et VI.

HENR. GUIL. ERBKAM, theol. Dr., P. P. O. tertius.
I. Publ. Patristicen binis diebus Martis et Veneris h. IV. docebit.
II. Privat. 1) Encyclopaediam et methodologiam disciplinarum theologicarum quater p. h. h. IX. tradet.
2) Historiae dogmatum partem posteriorem narrabit quinquies p. h. h. X.
III. Privatissime et gratis. Seminarii theologici sectionem historicam dirigere perget d. Lunae h. V et VI.

CAROL. JOANN. COSACK, Theol. Dr., P. P. O. quartus.
I. Publ. Historiam eloquentiae sacrae d. Martis et Veneris h. IV enarrabit.
II. Privat. Artem homileticam quinquies p. hebd. h. adhuc constit.
III. Privatissime et gratis. Seminarii catechetico-homiletici exercitationes moderari perget d. Mercurii h. VI et VII.

RUD. FRID. GRAU, theol. Licent. P. P. O. desig. sextus.
I. Publ. Pauli epistolam ad Ephesios interpretabitur diebus Mercurii et Veneris h. XII.
II. Privat. 1) Tria priora evangelia interpretabitur quinquies p. h. h. XI.
2) Theologiam biblicam N. T. scholis ternis tradet h. XII. d. Lunae, Martis et Jovis.